

August Wilhelm von Schlegel an Guillaume Favre Genf, 26.02.1811

Empfangsort	Genf
Anmerkung	Empfangsort erschlossen.
Bibliographische Angabe	Adert, Jules: Mélanges d'histoire littéraire par Guillaume Favre. Avec des lettres inédites d'Auguste-Guillaume Schlegel et d'Angelo Mai. Bd. 1. Genf 1856, S. LXXII–LXXIV.
Editionsstatus	Einmal kollationierter Druckvolltext ohne Registerauszeichnung
Zitierempfehlung	August Wilhelm Schlegel: Digitale Edition der Korrespondenz [Version-07-21]; https://august-wilhelm-schlegel.de/version-07-21/letters/view/4795 .

Viro munificentissimo, Fabro-Caelaviano juniori, Municipii Genevensis Bibliothecario honorario, Schlegelius exut Hannoveranus

S. P. D.

Quam mihi hucusque, vir clarissime, inter multa alia officia grato animo commemoranda, egregiam præstitisti operam in enucleandis Theotiscæ poeseos et linguæ antiquitatibus, eamdem ut et in posterum præstare velis, quam possum enixe Te oro, imo obtestor. Vereor enim ne, si tantum mihi subtrahatur auxilium, viribus in medio cursu deficientibus, mihi dolendum sit quod oleum et operam, ut aiunt, perdididerim. Jam consuevi, Te, tanquam oraculum aliquod divinitus mihi concessum, cujus responsa piis mortalium auribus accepta in intimis mentis penetralibus adservantur, summa cum reverentia colere ac venerari. Ne igitur graveris aut defatigeris quæstionum varietate et multitudine, quibus quotidie aures tuas obtundo, cum probe sciam Te CEdipo sapientiore eas solvere valere.

Non te fugit, in antiquissimo illo de Nebulonibus carmine, quod hodie denuo inter nostrates celebrari cœptum est, multa occurrere, quæ pertinent ad historiam temporum, quibus Romanum imperium tum Attilæ incursionibus, tum multo magis fortitudine populorum Teutonicorum, quos vulgo Barbaros appellant, a quibus equidem originem trahere magnopere glorior, vehementer concussum, denique prorsus deletum atque eversum est. Primo loco itaque diligenter mihi perlustranda sunt omnia quæ ad Attilæ historiam spectant, tum Veterum testimonia, tum quæ eruditorum nostri sæculi in eam rem congressit industria. Deinde cum Theodoricus Ostrogothorum rex, quem annales nostri rhythmici non invenusto anachronismo æqualem Attilæ faciunt, in multis carminibus populari Dietrici Bernensis nomine celebratus, in epica Nebulonum narratione primarias occupet partes, investiganda erunt quæ de eo et sede ejus Veronensi ab historicis latinis memoriæ mandata sunt, velim inprimis mecum communices quæ Tu de statu Italiæ sub Ostrogothis jampridem doctissima scripsisti.

Porro multus est in Nebulionade sermo de Burgundionum regno, prisco illo, cujus sedes Wormatiæ ad Rhenum erat posita. Omnino autem maxime confusa est Burgundionum historia, propter perpetuas regni divisiones et varias, in universo populorum motu, gentis hujus sedes, quæ postremo magis versus meridiem migravit in regiones ad utrumque montis Juræ latus sitas, partim adhuc nomen ejus retinentes. Nescio an in annalibus episcopatus Wormatiensis aliquid lucis huic Burgundionum regno affundatur. Multo enim serius, nisi fallor, a Carolo Magno sedes Episcopi Catholici Wormatiæ constituta est, quoniam Burgundiones cum cæteris gentibus cognatis Attilæ tempore pessima Arrianorum hæresi laborabant.

Denique scire velim, an unquam regulus aliquis Francorum Frisiorum, aliarumve gentium, quæ istis temporibus tam sæpe nomina et sedes mutare solebant, sedem imperii sui habuerit in oppidulo Xanten ad Rhenum sito prope Weseliam. Ponitur enim in Nebulionade ibi regia principis cujusdam Sigismundi, in provinciis inferioribus (vernaculo sermone *die Niederlande*) dominantis, filiique ejus Sigfridi, incliti fabulis herois, quem, quia ad instar Achillis nullo telo vulnerabilis habebatur, nostrates *corneum* nuncupant, unde errore ridiculo homines veteris sermonis ignari *cornutum* eum finxerunt. Pernoctabam aliquando in itinere apud hoc oppidum Xanten, sed minime prævidens, olim mihi antiquitates ejus remotissimas fore investigandas. Venit mihi in mentem, num forte nomen, neququam indolem Germanicam redolens, a Xantho Troadis flumine derivatum sit. Notissima enim res est, Francos, multosque alios populos, Romanorum æmulatione illectos, a Trojanis originem ducere voluisse, quo factum ut passim, sicuti Andromache Virgiliana «novas quasdam Trojas et recidiva Pergama» conderent.

Pauca hæc e multis, in quibus hæreo, delibavi. Vides jiam, quæ et quantæ difficultates mihi sint extricandæ, ante quam dissertatio mea de Nebulonibus in lucem prodire queat. Rogo te igitur, cum

cubiculi mei angustiae non tantam librorum molem simul capiant, quanta ad hanc meam opellam qualemcumque opus mihi erit, ut mihi supellectilem litterariam, tum ex locupletissimo penu tuo proprio, tum ex Bibliotheca publica paulatim promas, utendamque concedas, dum libros, quibus jam usus fuero, diligenter Tibi subinde remittam, ne liberalitate Tua abutar; sicubi hodie cum hisce litteris remitto Canisii *Lectiones antiquas*, debitas Tibi gratias persolvens et amplius persoluturus. Quas utinam Tibi Patrono optime merito referant pro me docti gentis nostrae homines, si quando Germaniam peragrarare Tibi libuerit. Vale. Scribebam Genevæ A. d. v. kal. Febr. a. MDCCCXI.